

ad justam consistentiam, tum in aliud vas plumbeum effunditur immixtis asseribus aliquot, quibus adhaerens concresecat vitriolum omnibus refrigeratis. Nullo alio vase coqui aut contineri hoc lixivium potest quam plumbeo; cui ut facilius ebulliat, ferri injiciunt particulas, quæ à lixivio plane consumuntur. Modus etiam Vitrioli Brickleia in Essexia conficiendi à celeberrimo Viro D. Joh. Raio vicino & amico nostro traditus in libello supracitato, cum processu Wormiano convenit: Eandem methodum in Vitrioli præparandi domibus Waltoni & Ramsia in eadem Essexia sectatam observavi. Verum in Italia ejus præparandi modus diversus est, ideoque Matthioli verbis dictum damus:

Mineræ globas in acervos mediocres conjectas igne supposito accendunt. Sponte autem urunt semel accensæ, donec in calcem seu cineres maxima ex parte reducantur. Mineram combustam in piscinas aquæ plenas obruunt, agitando, miscendoque eam, ut aqua imbuatur substantia Vitrioli. Aquam hanc Vitriolatam à sedimento claram hauriunt; & in caldaria plumbea transfundunt, quam igne supposito decoquunt. Verum dum ebullit, in medio cocturæ vel parum supra vel infra addunt modicum ferri veteris vel glebæ æris, juxta intentionem operantis. Aquam Vitriolatam decoctam in vasa lignea transfundant, in quibus frigescebat congelatur in Vitriolum.

Vitriolum viride à prædicto D. Lister pariter depingitur & describitur his verbis: Vitriolum autem viride à Pyrite ferreo nascitur; cujus maturæ & perfectæ crystalli perpetuo ex utraque parte mucronatæ sive acuminatæ sunt, & ex decem planis lateribus inæqualibus constant: scilicet, ex quatuor mediis planis pentagonis, & ad singula quæque extrema acuminata, terna plana triangula habent; perinde ut in figura representatur.

Duo sunt Vitrioli viridis genera, alterum obscure viride in hac nostra Insula nascitur, in Gossario quod aliàs Vitriolum Germanicum dicitur, intensi & viridi coloris. Tournefortius id factum esse narrat è fontibus qui minera Vitriolica abundant; alii verò id ibi hunc in modum parari contendunt: Calcinantur Lapides Pyrites dicti, calcinat. liberiori aëri exponuntur, sic enim vel spontè efflorescit Vitriolum, vel per elixationem cum aqua prodit. Id.

Hic mentionem aliquam facere libuit Colcotharis, hoc est Capitis mortui Vitrioli, Chalcitis vulgò dicti, quia recipitur in nobilissimam illam Theriacæ Andromachi Offic. Venetæ vulgò compositionem, ut nigro colore inficiat, istam opiatam, inquit Ammannus. Negantium ratio sequens est; quòd non sine suspitione malignitatis vel corrosionis ingre-

diatur Theriacam, cum sit escharotica & caustica; idè meo quali quali judicio præstaret illud in prædicta compositione plane omitti. N. B. Colcothar aëri expositum nobiliores inde virtutes attrahit; notumque est ex praxi Medicinæ quotidiana, quòd Dysenteriam sympatheticè curet.

A. 3. Vitriolum album Offic. Worm. 25. Geof. Prælect. 106. Charlt. Foss. 11. Chalcanthum candidum Aldrov. Mus. Metall. 339. Atramentum album durum fossile Kentm. 13. **White Copperas.** Est substantia alba granulosa instar Sacchari albi concreta, sapore præcedentis, & ex Germania ad nos adfertur. Gosselariæ fodinis Vitriolum album reperitur stiria figurâ, translucidum. Vires. Cum priore viribus convenit. Præ reliquis usum habet in Collyriis; præparatur quoque ex eo in aqua soluto & coagulato vomitivum eximium; quæ solvunt in aqua, & coquant ad consistentiam Sacchari albi Geof. Prælect. 106. Ergò errare existimat qui cum Tournefortio affirmant id factum esse è Vitriolo Anglico in aqua soluto, & igni cocto, donec aqua evaporetur, quòd residit, grumis majusculis constabit Saccharo albo similibus, quod aëri expositi subflavum externè induunt colorem. Vitrioli magnus usus est in aquis stipticis conficiendis, in arte tinctoria & atramentosa. Vide Canaparium de Atrament. Venas seu Mineras Vitrioli diversimodas, vide apud Kentmannum in Catalogo, & Schwencfeldum de Fossil. qui Pyritas Atramentosa vocat.

SECTIO QUINTA.

De Fossilibus Metallicis Medicamentosis.

Mineralia sunt ea quæ non sunt Vegetabilia, nec Animalia, attamen in hac Sectione agemus tantum de fossilibus metallicis, i. e. Metallis perfectis & imperfectis. Quod ad alia Mineralia attinet, in prioribus Sectionibus ea tradidimus. Hæc dividi possunt in tres classes, scilicet Mineras, Metalla, & Metallis affinia.

I. De Mineris.

Minera est terra sive Materia, ex qua Mineralia & maxime Metallica fiunt. Hæ Minera in infinitum ferè variant, quoad colores, figuras, mixturas, aliæque accidentia; pro quibus consulantur Musæa Curiosorum, & Catalogi Fossilium, præsertim

præsertim verò illi à *Kentmanno*, & *Schwenckfeldo* editi.

I. De Magnete.

A. 1. **M**agnes Offic. Mer. Pin. 212. Schw. 384. Calceol. 257. Boet. 438. Aldrov. Mus. Metall. 553. Worm. 62. Charlt. Foss. 62. Lapis Magnes Matth. 1384. **The Loadstone.** Lapis est Polus Mundi ostendens, ferrum chalybémque attrahens, præsertim ferreo circulo armatus. Reperitur circa ferri fodinas in diversis locis. Vires. Hæmatitis habet vires, teste *Galeno*, adeoque astringit, sanguinémque sistit, uetus crassios & melancholicos humores educit, sed usus est rarioris. *Schrod.* Contra Hernias datur. *Hoffman.* Non solum ad sagittæ ferrum à corpore humano extrahendum, sed omnem aliam saburram vulneribus inhærentem, emplastris adhibet *Paracelsus.* Vide *Gilbertum de Magnete.*

A. 2. Magnes albus Mont. Exot. 13. Magnes candidus *Kentman.* 14. Magnes, sive candidus Aldrov. Mus. Metall. 560. **The White Loadstone.** Vires. Abstergit, astringit, Antarthritica, Antiscorbutica, & Aperientia, ut scribit *Mont.*

Magnetis Mineras seu Venas diversimodè coloratas & mixtas, vide apud *Kentmannum* 27.

II. De Hæmatite.

A. 1. **H**æmatites Offic. Calc. Mus. 269. Worm. 64. Dougl. Ind. 42. Aldrov. Mus. Metall. 646. Boet. 386. De Laet. 122. Charlt. Foss. 27. Hæmatites verus Schw. 380. Lapis Hæmatites Matth. 1381. **Bloodstone.** Substantia est Metallica, mediæ consistentiæ inter lapidem & terram, ponderosa, fractus instar ligni petrefacti fibras oblongas habet, & in modum acuum acutas, coloris obscure rubescentis, saporis terrei & astringentis. In ferri fodinis nonnunquam reperitur, cujus Minera quædam est, ex eo enim excoquitur ferrum, teste *Schrod.* & *Boyleo.* Optimus habetur friabilis, saturato colore rubro, qui per se durus est & æqualis, nulla sorde admista, aut venis intermediis. Vires. Refrigerat, exiccatur, astringit, glutinat, adeoque convenit Ulceribus Oculorum & Pulmonum, oculis lachrymantibus, Sanguinis expuitioni medetur, profluvia, v. g. Hæmorrhagiam, uteri, alvi, &c. compefcit, *Schrod.*

A. 2. Lapis Schistus Offic. Charlt. Foss. 24. Matth. 1382. Schistus Calc. Mus. 274. Worm.

64. Aldrov. Mus. Metall. 655. De Laet. 123. Schistus, seu Scissilis lapis Boet. 392. **The Cleaving Stone.** Ex Germania transportatur. Substantia est metallica crocei coloris, si optimus fuerit, aliàs nigricat, laminas habens tenues, invicem hærentes, splendentes, & perspicuas. Vires. Vim habet Hæmatitæ, sed ad omnia infirmiore. *Diosc.* Videtur, inquit *Boetius*, Talci quædam species. Differentiam nullam inter Schistum & Hæmatidem agnoscit *Agricola*, præter quæ in figura consistit.

III. De Smiri.

A. **S**myris & Smerillus Offic. Smiris Mer. Pin. Boet. 591. Worm. 65. Aldrov. Mus. Metall. 653. Charlt. Foss. 27. **Emery.** Lapis est ferrugineus, ponderosus, colore ad nigredinem tendente, adeo durus, ut gemmarii eo ad gemmas scalpendas, & arma expolienda utantur. Vires. Abstergentem habet facultatem, adeo ut ad gingivas humentes, & dentificia Smiris pulvis adhibeatur. *Dioscorides.*

Hæmatitidis species esse videtur, & in ferri fodinis inveniri solet; de usu in Mechanicis, vide *Scriptores de Lap. & Gem.* Item *Wormii Mus.* p. 65.

IV. De Cinnabari.

DUorum generum Officinis est, alia Nativa, sive Mineralis, alia Factitia.

Cinnabaris Nativa Offic. Schw. 374. Minium purum, seu Cinnabaris nativa Worm. 126. Lapis Minium Aldrov. Mus. Metall. 637. Cinnabaris Matth. 1355. Minium *Diosc.* Argenti vivi Minera, Cinnabar fossilis *Dioscoridis Calc. Mus.* 439. **Native Cinnabar.** Est substantia Metallica, seu potius Minera Mercurii, ponderosa, striata, friabilis rubicunda, cum striis argenteis. Reperitur in diversis *Europæ* locis, v. g. *Hungaria*, *Germania*, &c. Eligenda quæ gravida Mercurio & Sulphure præstantioribus, adeoque Hungarica, utpote quæ auro aliquantulum pollet. Vires. Usus ejus internus, præterquam quod Antileptici nonnunquam permixta deprehenditur, quod sciam nullus est: Exterius autem adhiberi potest ad sanandam Luem Veneream, scabiémque in Suffimentis, &c. *Schrod.* Præp. Argentum vivum, Mercurius, & Hydragyrus Offic. Argentum vivum Worm. 126. Charlt. Foss. 50. Aldrov. Mus. Metall. 194. Matth. 1357. *Kentm.* 64. Calc. Mus. 439. *Fabr.* 10. **Quick-Silver, or Crude**

Crude Mercury. Est Nativus, de quo hic, & Artificialis, i. e. Metallis extractus. Nativus est nonnunquam per se, ipsa natura operatrice, separatus invenitur: plerumque tamen ex Cinnabari vi ignis hunc in modum elicitur. Ollam Cinnabari implent, eamque ollæ alteri, interpositâ laminâ ferreâ, ore converso imponunt, lutoque circumlito, vi ignis circularis Mercurium vivum ex olla superiori in inferiorem defluere faciunt, ad modum quo destillatio per descensum dicta perficitur. Censetur bonus, vel qui per retortam propulsus nihil recrementi relinquit; vel qui in cochleari argenteo evaporationi super pruinis expositus, maculam in cochleari relinquit flavam, aut albicantem, non nigram aut fuscâ. Pro modis separandi Mercurium à Cinnabari nativo, vide *Transact. Philosoph.* N.º 2. & N.º 45. **Vires.** Internè mundificat sanguinem ab inquinamento, præcipuè Venereo: Fugat ac necat Lumbricos; difficilem promovet partum, &c. Externè inunctus, sanat Scabiem omnis generis. Fugat atque necat Pediculos, resolvit duos tumores, &c. Imò quoad ejus præparata, nulla res in Officinis est, si Antimonium excipias, ex qua major Medicamentorum supellex elici possit, quàm ex Mercurio, Suppeditat enim purgantia, vomitoria, sudorifera, mundificantia vulnera, Acrimoniam lenientia, ut patebit in formis Medicamentorum inde paratis. Usus Mercurii crudi internus & externus est. Intrinsecus tamen rariùs adhibetur, extrinsecus sæpiùs, &c. *Schrod.* Cinnabaris factitia *Offic. Aldrov. Mus. Metall.* 642. Cinnabaris artificialis *Schw.* 375. **Common Vermilion.** Fit sublimatione Mercurii cum Sulphure, at non est hujus loci. N. B. Cinnabaris factitia frequentissimè in Officinis reperitur, Nativa rariùs. Mercurii usus varius in Mechanicis & Metallicis. Vide *Lazarum Erckerum, Alonsum Barbam, Acoflam, &c.* Vide *Michaelem, & Hoffmannum de Cinnabari Nativa.* Item *Tilingium, Clauderum, &c.*

V. De Cobalto.

A. **Cobaltum** *Offic.* Cadmia Metallica *Worm. Mus.* 128. *Charlt. Foss.* 51. *Aldrov. Mus. Metall.* 256. *Matth.* 1338. *Kentm.* 74. *Woodw. Att.* ii. P. I. p. 50. Cadmia Metallaris, aliis Cobaltum Metallicis *Schw.* 370. Cadmia fossilis, ex qua præp. Zaffera *Woodw. Att.* **Cobalt.** Minerale terreum est, colore ferè nigrum, Antimonio haud absimile, æris vel argenti particeps. Foditur copiosè haud procul *Goslaria* in *Saxonia*; item

in *Anglia*; quoque apud Colles *Mendip* in Agro *Somersetiæ* reperitur. In Officinis nostris Pharmaceuticis ignotum est. **Vires.** Vi caustica & erodendi pollet tanta, ut fossorum manus & pedes exulceret: adeoque inter Venena recensetur, quippe intus haustum Animalia quæque perimit. *Schrod. Præp.* 1. Flores per sublimationem sunt albi & leves; ex quibus fit aut 1. Arsenicum album *Offic. Ind. Med.* xv. Arsenicum factitium album *Aldrov. Mus. Metall.* 354. Arsenicum *Mont. Exot.* 12. Arsenicum album seu crystallinum *Schrod.* iii. 498. Arsenicum album, Risagallum, quibusdam *Realgar Worm. Mus.* 29. *Charlt. Foss.* 13. **White Arsenick or Katsbane.** Est substantia metallica, albicans, & ponderosa, facta ex floribus Cobalti per sublimationem in vasis ferreis, saporis acris & exurentis. 2. Arsenicum flavum *Offic.* Arsenicum factitium flavum *Aldrov. Mus. Metall.* 358. Arsenicum citrinum seu flavum *Schrod.* iii. 498. Arsenicum citrinum *Pharmacopolis.* **Yellow Katsbane.** Est substantia metallica, flava, & ponderosa, saporis acerrimi & urentis; facta per sublimationem florum Cobalti part. 10 sulphuris communis part. unum. 3. Arsenicum rubrum factitium *Offic.* *Woodw. Att.* ii. P. I. p. 50. **Red Arsenick.** Substantia est metallica, & ponderosa, coloris cinnabaris; facta est quoque ex floribus superscriptis cum sulphure communi & parvæ proportionis cujusdam substantiæ metallicæ Spumæ Cupri dictæ. **Vires.** Inter venena loco haud ultimo Arsenicum recensetur, nec immerito. 2. Caput Mortuum, sive Residentium, post sublimationem florum, ex hoc cum idonea quantitate Silicum fiunt Zaffera. In usu à pictoribus, figurinis, & Vitariis.

Præter colorem *Ultramarinum* dictum à *Lapide Lazuli* & *Armenio* factum: Aliud cœrulei generis est, non tantum à pictoribus, sed etiam à Matronis & lotricibus nostris, sed frequentius à forma ejus **Powder-Blue**, i. e. *Ceruleus pulverizatus*, qui à Cobalto, cineribus clavellatis, & silicibus albis conficitur; cujus conficiendi modus apud *Saxones* in *Germania*, prout ab amicissimo viro D. *Davide Krieg*, M. D. mihi communicatus est, sic se habet: "Primo Cobaltum in mola in tenuissimum pulverem comminuitur, cumque cineribus clavellatis mixtum, in fornice funditur in vitrum obscurè cœruleum; deinde iterum commolitum, & cum idonea quantitate silicum alborum mixtum, denuò funditur in vitrum, quo tandem pulverisato, partes tenuiores lotionem separantur, & postea exsiccantur. N. 1. Quo plures

“ plures filices post primam fusionem materiae
 “ admiscuntur, eò major erit Smalti quantitas,
 “ verum pallidior. 2. Inter lavandum, quod pri-
 “ mò à massa abscedit purius & pallidius est poste-
 “ riore. *Philos. Transf.* N. 293. 1753.

VI. De Magnesia.

A. **M**agnesia, *Offic. Geoff. Laet. Ed. Angl.* 178. Manganese, *Mer. Pin.* 212. *Schwenck. Not. in Boerb. Chem.* 140. Sapo vitri, *Mer. Ars. Vit. Soap of Glass.* Corpus est metallicum, durum, ponderosum, & friabile. Hujus mineræ mentionem facit *Geoffroyus*, M. D. in *Prælectionibus suis de Materia Medica.* In Officinis Pharmaceuticis raro aut nunquam invenitur; sed apud figularios & vitriarios frequens est.

VII. De Pyrite.

A. **P**yrates, *Offic. Boet.* 516. *Fabr.* 29. *Charlt. Foss.* 17, 52. *Aldrov. Mus. Metall.* 570. *Worm.* 39, 129. *Schw.* 388. Lapis Pyrites, *Matth.* 1381. Marchasita variæ, seu Pyrites, *Mer. Pin.* 212. Marchasita, *Moderni. Fire Stones.* Omnibus ferè fodinis invenitur, omnia ferè metalla, sales, & sulphura ex utero suo ditissimo effundens, purus enim Lapis non est, omniumque Minerarum feracissima esse videtur: multâ varietate reperitur, quoad colorem, figuram, mixturam cum metallis, lapidibus, cæterisque fossilibus, variâ proportionem miscetur cum Ferri, Plumbi, Stanni, Argenti, Cupri, seu Æris, & Aluminis Metallo; item similiter cum ipso filice nigro, cum carbone fossili, cum lapide calcario, cretaceo, &c. *Vires.* Tum crudi quàm usti vis est excalfacere, abstergere, offusam oculis caliginem expurgare, duritias concoquere, & concoctas discutere, *Diosc.*

VIII. De Phrygio Lapide.

A. **L**apis Phrygius, *Offic. Boet.* 406. *De Laet.* 134. *Matth.* 1380. *Aldrov. Mus. Metall.* 689. *Calc. Mus.* 385. *The Phrygian Stone.* Nascitur in *Cappadocia.* Est gleba pumicosa; præfertur qui pallefcit, pondere medio-cris absque solida compage, ac lineis albis Cadmiæ instar distinctus est. *Vires.* Astringendi, expurgandi, & crustas inducendi vim habet. Lavatur ut Cadmia, *Diosc.* Morbis oculi, atque ad ulcera, &c. utilis est, *Galen.* In Officinis nostris Anglicanis hodie ignota est.

IX. De Sory, Chalcitide, Misy, & Melantheria.

Sory, Chalcitis, Misy, & Melantheria Mineralia sunt inter se Origine & Viribus conjunctissima. Nimirum ex Sory fit Chalcitis, ex hac Misy: videatur *Matthiolus* in *Dioscoridem*, qui inter recentiores primus quid illa sint demonstravit. Verum adhucdum in Officinis nostratibus ignota sunt, & in usum non veniunt, quæ Chalcitidis loco Colchatar seu Vitriolum calcinatum Theriacæ immiscuit, cum tamen genuinum Sory, Chalcitis, & Misy, monente eodem *Matthiolo*, in Ducatu Brunsvicensi inveniuntur.

1. Sory, *Offic. Matth.* 1365. *Worm.* 26. *Aldrov. Mus. Metall.* 341. *Charlt. Foss.* 11. *Kentm.* f. 15. Est Minerale lapidosius, & vehementius compactum quam Chalcitis aut Misy, sed & crassissimum, fricatum scintillas Miscoas emittens.

Sory in eo differt à Melantheria, quod in Sory inest virus grave, nauseam movens, id quod in Melantheria non deprehenditur, *Kentm.*

2. Chalcitis, *Offic. Matth.* 1365. *Worm.* 26. *Aldrov. Mus. Metall.* 340. *Charlt. Foss.* 11. *Kentm.* 15. Minerale est æri simile, friabile, nec lapidosum, Sory tenuius, Misy verò crassius, tractu temporis ex Sory factum.

3. Misy, *Offic. Matth.* 1365. *Worm.* 26. *Aldrov. Mus. Metall.* 341. *Charlt. Foss.* 11. *Kentman.* 15. Minerale est, aurum colore imitans, aureisque scintillis, dum frangitur, splendens; natum super Chalcitum & ex Chalciti, non secus ac ærugo nascitur super æs & ex ære, efflorescentia enim Chalcitis est. *Vires.* Adurunt, & escharas efficiunt; attamen & nonnihil quoque astringunt: differunt tamen inter se tenuitate & crassitie, *Schrod.*

4. Melantheria, *Offic. Matth.* 1365. *Worm.* 26. *Aldrov. Mus. Metall.* 341. *Charlt. Foss.* 11. Melantheria, Atramentum nigrum, *Offic. Schw.* 385. Atramentum nigrum, seu futorium, Græcis Melantheria, *Kentm.* fol. 14. Duplicis est originis, quædam in faucibus cuniculorum, quibus æs eruitur, salis modo concrefcit. Alia verò in summa facie supradictorum locorum coit, quæ terrena est. Præstat quæ sulphuris colorem trahit, lævis, pura, æquabilis, & quæ contactu aquæ confestim nigrescit. *Vires.* Vim causticam eam obtinet, quam & Misy, *Diosc.* In Officinis nostris nunquam reperitur.

Pro hisce consule *Kentman.* p. 15, 16. & *Wormii Mus.* p. 26.

X. De Asio Lapide.

Lapis Asius, *Offic. Matth.* 1380. *Aldrov. Mus. Metall.* 692. Asius vel Assius Lapis, quem etiam Sarcophagum vocant, *Worm.* 49. *Charlt. Foss.* 21. Sarcophagus, sive Assius Lapis, *De Laet.* 133. Sarcophagus, & Asius seu Assius Lapis, *Boet.* 403. **Assian Stone.** Est minerale leve, fungosum, friabile, scissile, pumiceo colore, sapore salso. In *Ufu.* Minera, salugo subflava summo lapidi infidens, compage tenui, gustu mordente. *Vires.* Utraque vim habet astringentiam, & modicè erodentem. Ulcera vetera siccant, & cicatrici repugnantia sanant; excrescentia cohibent; cava explent; tetra ulcera & fungis similia expurgant, *Diosc.* Longè validior flos seu salugo existimatur.

XI. De Petracorio Lapide.

Lapis Petracorius, *Geoff. Prælect. Angl. Edit.* 179. *Pomet. The Perigord Stone.* Est minerale atræ, duræ, ponderosæ, & ferrugineæ substantiæ. Invenitur in Montosis Delphini. *Usum* nullum habet in medicina, sed in officinis figulorum & encausticorum frequens est.

II. De Metallis Affinibus.

Inter Mineras & Metalla ponemus Metallis finitima, quæ si Semi-Metalla appellare libet, non magni refert: & ad hunc locum pertinet Argentum Vivum, sed quoniam Minera ejus officinalis etiam est, ab ea non separandum duximus.

I. De Antimonio.

Antimonium, *Offic. Mer. Pin.* 209. *Charlt. Foss.* 49. *Worm.* 125. *Schrod.* 421. Stibium, *Aldrov. Mus. Metall.* 186. *Matth.* 1347. *Schw.* 393. Stibi, *Kentm.* 88. Stibium, *Cale. Mus.* 458. *Fabr.* 27. **Antimony:** Substantia est metallica, solida, ponderosa, friabilis, plumbei coloris, cum striis longis, splendentibus. Eruitur ex Minera, variis coloribus & in forma pyramidalis effusa. Variis in regionibus eruitur Minera Antimonii, maximè tamen laudatur Hungaricum & Transylvanum, utpote quod Sulphure puriori dotatum, aurique minera imbutum est. Artifices variis mo-

dis bonitatem explorant. Quidam Chartæ luteo colore tinctæ, denteque apri ritè levigatæ id affricant, certitudinisque notam, rubram lituram, inductione illa post se relictam statuunt. Alii benè pulverisati drachmas aliquot fortissimo spiritu Aceti imbibunt, inque figulina ad lentum ignem, ne Antimonium fluat, evaporare sinunt: quod si post evaporationem pulvis Antimonii rubens relinquitur, ulterius de ejus certitudine non dubitant. *Vires.* In Antimonio, inquit *Quercetanus*, sunt sexcentæ proprietates variæ ac præstantes, ut præparantes, expurgantes, vomitiones concitantes, & id genus alia, ut nunquam satis laudari queat hoc Medicamentum. Crudo attribuerunt Veteres vim astringendi, exsiccandi, meatusque corporis obstruendi, excrescentias carnis absumendi, cicatrices obducendi, oculorum ulcera & fordes mundificandi. Sunt & qui ad Epilepsiam arcendam exhibent, etiam in ipso Paroxysmo, *Schrod.*

Pro usu Antimonii in purgandis Metallis, &c. vide *Transact. Philosoph.* N° 138. N° 142. Varietates Mineræ Antimonii vide apud *Kentmannum*, p. 88, 89. Usus in Mechanicis vide *Wormii Mus.* 125, 126.

II. De Bismutho.

Bismuthum, *Offic. Charlt. Foss.* 49. *Aldrov. Mus. Metall.* 161. Bismutum, plumbum cinereum, *Worm.* 125. Marcasita, sive Bismutum, *Schrod.* 456. Marcasita argentea, *Cæsalp. Galena inanis, Germanis.* Blende, *Woodw. Att. Tom. I.* 182. Bismuthum, *Idem Tom. II. P. I.* p. 28. **Marcasite of Silver, or Tin-glais.** Excrementum est metallicum, in generatione Metallum ex portione aliqua ad generationem Metallum inepta productum, inque corpus minerale albicans, durum, ac fragile mutatum. *Vires.* Recremento Plumbi respondet: usus rarissimus est, & non nisi externus, *Schrod.* Nonnulli ex eo fucum elaborant ad cutim dealbandam.

III. De Metallis perfectis, quorum Mineræ in usu Officinis non sunt.

I. De Ferro.

Ferrum, *Offic. Aldrov. Mus. Metall.* 129. *Fabr.* 22. *Charlt. Foss.* 47. *Worm.* 122. *Mer. Pin.* 208. *Schrod.* 377. *Schw.* 378. Ferrum, Mars, *Mont. Exot.* 13. **Iron.** Metallum est

est ignobilis, constans, ut vult *Schroderus*, ex Mercurio & Sulphure minus liquabili, crudiori, seu, si mavis, ex Sulphure ac Sale, quæ partibus terreis crudioribus immixta sunt; vel potius, ut *Hermannus*, ex Sale alkalico terra Metallica incluso. Duorum est Generum: 1. *Nativum*, quod in fodinis purum reperitur, vel granorum, vel massæ infar. 2. *Excoctum*, quod in officinis ferrariis è Minera conficitur. *Præp.* 1. Chalybs, *Offic. Steel*. Substantia est metallica, ponderosa, terro compactior, & solidior, facta ex ferro sæpius candelato, & in aqua extincto. 2. Ferrugo, sive Rubigo, *Offic. Ferrugo, Charlt. Foss. 53. Worm. 131.* Ferrugo, sive Rubigo Ferri, *Aldrov. Mus. Metall. 352. Rubigo Ferri, Matth. 1344. Rust.* Conficitur, vel si aëri exponatur, seu aliquin humectatur. 3. Scoria, *Offic. Charlt. Foss. 54. Worm. 123. Dross, or Scales.* Supernatat hæc Metallo, quamdiu fusa est; frigefacta autem congelatur & fragilis redditur. *Vires.* Diversis donatum est viribus, astringendi scilicet & aperiendi: ob salem alkalicum acidum astringit, obstructions aperit, & morbos chronicos inde ortos curat: ob terram metallicam acida absorbet, eorumque cuspidem obtundit.

Ferri venas, seu Mineras varias (*Iron Ores*) vide apud *Kentmannum* sæpius laudatum, p. 89, 90. ad p. 92. & *Wormii Mus.* p. 123. Pro modo separandi ferrum, vide *Transact. Philosoph.* N° 137. vide etiam *Raium de Vocabulis Inusitatis*, pag. 186, &c.

II. De Stanno.

A. *STannum*, *Offic. Mer. Pin. 208. Aldrov. Mus. Metall. 181. Schrod. 394.* Stannum, seu Plumbum candidum, *Calc. Mus. 458, 466.* Stannum, Jupiter, *Mont. Exot. 13.* Plumbum candidum alias Stannum, *Charlt. Foss. 48.* Plumbum candidum, quod & Stannum alias vocatur, *Worm. 124.* Plumbum candidum, *Schw. 387. Kentm. 85. Fabr. 16. Tin.* Metallum est molle, album, splendens cum livore quodam, constans, secundum *Schroderum*, ex Mercurio puriore, molliore, fugaciorique quam Metalla duriora, fixiora verò quam Plumbum, & sulphure albo minus maturo. Ex Mineris diversis coloribus eruitur. *Vires.* Præterquam quod Epato convenit, uteri & cerebri morbis peculiariter quoque dicatur, *Schrod. Præp. Bianca Alexandrina, seu Album Hispanice, Worm. 131. Charlt. Foss. 54. Album Hispanicum, Aldrov. Mus. Metall. 164. Spanisch*

White. Ita conficitur, ut corussa ex plumbum. *Ufus* præcipuus est ad seminarum fucos, cutim enim dealbat, & candidam reddit. Ex Stanno eruitur Aurum, inquit *D. Merret*, in *Pingee suo*, at parvâ quantitate. Argentum ex Minera Stanni quoque eruitur. Stanni Mineras varias (*Tin Ores*) vide apud *Editores Museorum, & Scriptores Metallicos.* Pro modis separandi & conficiendi Stannum, vide *Raium de Vocab. Inusitatis*, p. 180. Item *Transact. Philosoph.* N° 69. N° 138.

III. De Auro.

A. *Aurum*, *Offic. Fabr. 1. Schrod. 361. Worm. 114. Charlt. Foss. 45. Aldrov. Mus. Metall. 37. Mer. Pin. 208. Schw. 367. Calc. Mus. 436. Kentm. 58.* Aurum, Sol, *Mont. Exot. 13. Gold.* Metallorum cunctorum est nobilissimum, solidissimum, colore fulvum, compactum ex principiis summè digestis, adeoque fixis. *Vires.* Balsami seu calidi nativi cordisque summum corroborans nonnulli esse volunt, sed credat quicumque vult. *Præp.* Aurum foliaceum, *Leaf-Gold.* Eodem modo factum, quo Argentum foliatum. Prostat ornatus gratiâ, & ad pilulas obducendas. Vel reperitur in Mineris, viz. Auripigmento, Lapide Lazuli, Silicibus candidis, &c. è quibus separatur Amalgamatione cum Mercurio; vel purum & virgineum reperitur, vel (quod sæpius contingit) cum arena mixtum, & lotionem separatum: Hinc torrentes, & fluvii, & littora arenosa Auro abundant, & ditantur. Vide plura apud *Cæsalpinum* in *Metall.* p. 175, 176. Item in *Museis Curiosorum editis, & apud Scriptores Metallicos, Alonsum Barbam, Acostam, Agricola, Ereberum, &c.*

IV. De Argento.

A. *Argentum*, *Offic. Mer. Pin. 208. Fabr. 6. Aldrov. Mus. Metall. 72. Charlt. Foss. 45. Worm. 115. Schrod. 373. Schw. 366. Calc. Mus. 439. Kentm. 59.* Argentum, Luna, *Mont. Exot. 13. Silver.* Metallum est nobile, candidum, Auro imperfectius. Ex Minera plumbea seu Molybdæna sive Plumbagine nativa *Dioscoridis* eruitur. *Vires.* Capitis corroborans perhibetur specificum, spiritusque animales confortare, unde & in omnibus capitis affectibus peculiaris efficacie censetur, quales imprimis Epilepsia, Apoplexia, &c. *Schrod. Præp. Argentum foliaceum, Offic. Leaf-Silver.* Fit sæpius calefaciendo laminas Argenti, quas inter

ter duo coria tundunt ac cædunt in tantam tenuitatem.

Pro modis separandi & præparandi Argentum, vide clarissimum *Raium de Vocabulis Inusitatis*, 174. Item *Lazarum Erckherum*. Varias Argenti Mineras seu Venas (*Silber Ques*) vide apud *Kentmannum*, p. 59. ad p. 64. *Wormium*, reliquosque *Museorum Editores*. Vide *A. Barbam, Acostam*.

V. De Plumbo.

A. **Plumbum**, *Offic. Mer. Pin.* 209. *Schrod.* 389. *Aldrov. Mus. Metall.* 160. Plumbum nigrum, *Charlt. Foss.* 48. *Fabr.* 27. *Schw.* 387. *Worm.* 124. Plumbum, Saturnus, *Mont. Exot.* 13. **Lead**. Metallum est vilissimum, constans, inquit *Schroderus*, ex sulphure indigesto, sale aluminoso, ac Mercurio naturam Antimoniam æmulante. Ex eadem Minera cum argento eruitur. *Vires*. Refrigerat, astringit, incrassat, &c. Libidinem reprimat, ulcera carnibus implet, cicatrice obducit, excrecentiisque liberat, ulceribus cheironiis quæ vocant, malignis, cancris, & putredinosis, tum per se, tum quibusdam permixtum, convenit, *Schrod.* Recrementa metallica factitia Plumbi sunt, 1. Lithargyrus, *Offic. Schrod.* 459. *Worm.* 135. *Charlt.* 55. *Aldrov. Mus. Metall.* 18. Lithargyrium, *Schw.* 383. **Litharge**. Spumosum excrementum metallicum est e purificatione argenti, vel potius nihil aliud est quam plumbum. Duo ejus genera communiter statuuntur, videlicet aureus, qui flavi coloris existit; & argenteus, qui coloris albi; verum non nisi coctione differunt, aureusque magis coctus est quam argenteus. *Vires*. Siccat & refrigerat, moderatissime astringit, reprimat, occludit, cava explet, exterget. Sarcoticum est, *Schrod.* 2. Molybdæna, & Plumbago factitia, *Offic. Schrod.* 460. Molybdæna, sive Plumbago, *Matth.* 1349. Plumbago, *Worm.* 136. *Charlt. Foss.* 56. **Plumbago**. Recrementum illud est, quod in argenti, aurique purificatione cum plumbo, fornicis folio concretum, & perustum adhærescit. Suprema ejus pars ad Lithargyrium accedit, infima cinerem, media ex utroque mista. *Vires*. Similem Lithargyro vim possidet, ad frigidum paululum recedens, sed nec abstergentis facultatis est particeps. 3. Cerussa, & Sandix, *Offic. Cerussa, Aldrov. Mus. Metall.* 164. *Worm.* 131. *Charlt. Foss.* 54. *Matth.* 1351. Plumbum album, quibusdam. **Ceruse, White Lead**. Substantia est metallica, alba, friabilis, ponderosa, facta suspensione Plumbi lamellæ supra Acetum, ut vapores

ab Aceto elevati circumeant. *Vires*. Cum Lithargyro convenit viribus, & potius externe quam interne usurpatur. 4. Minium vulgare, *Offic. Minium, Worm.* 131. *Charlt. Foss.* 54. Minium, seu Sandyx, *Aldrov. Mus. Metall.* 164. Sandarach, *Vitruvio*. Plumbum rubrum, vulgò. **Red Lead**. Pulvis est metallicus rubicundus, ponderosus, vel calx Plumbi igne reverberata. *Vires*. Convenit cum Cerussa viribus; scilicet ad Tumores & Ulcera Gallica, ad partes ambustas, & ad lentigines. 5. Plumbum ustum, *Offic. Matth.* 1345. **Burnt Lead**. Est Plumbum in calcem redactum vi ignis, viz. Fiat S.S.S. ex Plumbi bracteis & Sulphure pulverisato, uraturque hac ratione Plumbum. *Vires*. Siccat & refrigerat, & cum Minio convenit viribus.

Pro modis separandi & præparandi plumbum, vide *Agricolam & Erckherum*.

Plumbi Mineras varias (*Lead Ques*) vide apud *Kentmannum*, à p. 84. ad p. 98. etiam apud *Editores Museorum, & Scriptores de Metallis*.

VI. De Cupro.

A. **Cuprum**, *Offic. Schrod.* 385. *Fabr.* 11. *Æs, Worm.* 120. *Charlt. Foss.* 46. *Aldrov. Mus. Metall.* 97. *Æs, Cuprum, Schw.* 360. Cuprum, *Æs Veneris, Mont. Exot.* 13. **Copper**. Ex ignobilioribus duriusculis est, constans (secundum *Theophrastum*) ex Sulphure purpureo, Sale rubro, ac Mercurio citrino. *Vires*. Præterquam quod partes generativas peculiariter confortare creditur; variis facultatibus abundare æstimatur, adeo ut sint qui dicere non vereantur, nullum Metallorum salubriorem spirare auram quam Cuprum. *Schrod. Præp.* 1. *Æs, Offic. Æs flavum, Worm.* 122. Orichalcum, *Charlt. Foss.* 47. *Aldrov. Mus. Metall.* 126. **Brass**. Metallum durius quam Cuprum, colore fulvo. Conficitur ex fusione Cupri cum lapide calaminari. 2. *Ærugo, & Æs viride, Offic. Charlt. Foss.* 53. *Ærugo rasilis, Matth.* 1343. *Worm.* 131. *Ærugo factitia, Aldrov. Mus. Metall.* 352. **Verdigrise**. Substantia est grumosa, condensata, cæruleo-viridis, facta ex Cupro & Aceto, hoc modo: Suspendantur laminæ Cupri, ut vapor acetis & racemorum objectæ sint, sic adhærescet ærugo. *Vires*. Constat sale falso plus minus caustico, habente virtutem acida quævis ulcerum & vulnerum infringendi. 3. Flos æris, *Offic. Schw.* 361. *Worm.* 132. *Charlt. Foss.* 54. *Matth.* 1341. **Flowers of Brass**. Sunt parva, subrubra, splendentia granula, seminis Milii magnitudine aut minora,

nora, quæ laminæ ferreæ, supra vaporem ab aqua æri liquefacto, cum è fornace effluit, insperfa elevatum, suspensæ accrescunt. In fornacibus, ubi Æs ipsum funditur in Tridentino agro, sæpius collegit *Matthiolus* in hunc modum: Cum Æs in fornaci liquatum, in paratum receptaculum extra fornacem diffunderetur, antequam omnino coiret in massam, frigidam super ipsum adhuc ignitum infundebat, statimque vapor magnus excitabatur, sub quo mox ferream laminam, & eam quidem amplam, subiciebat, tamdiuque tenebat, donec cessabat vapor. *Vires.* Astringit, & excrementia coarctet; offusam oculis caliginem emendat, sed magnopere mordet, *Diosc.* Tenuiorum partium facultatis est, quam aut æs ustum aut squama, *Galen.* Nusquam in officinis nostris reperitur, quapropter ejus vice æruginē perpetuò utuntur.

Recrementa Metallica Ære conficiendo sunt,
1. Diphryges, *Offic. Aldrov. Mus. Metall. 14. Worm. Mus. 133. Charlt. Foss. 55. Schrod. iii. 359. Schw. 376. Matth. Ed. 1366. Diphryges, Calc. Mus. 461. Scurf.* Genus est recrementi metallici, quod subidet, dum Æs in fornace fusum aqua frigidâ perfunditur; nobis ignotum est, & in Officinis rarissimè invenitur. *Vires.* Mistam habet facultatem; continet enim in se quiddam & mediocriter astringens, & mediocriter acre; quamobrem ulcerum rebellium optimum Medicamentum est, *Schrod. 2. Tutia, Offic. Dougl. Ind. xcii. Lapis Tutia, Woodw. Att. T. ii. P. I. p. 50. Cadmia Fornacia, Geoff. Prælecl. 182. Schw. 370. Worm. Mus. 134. Charlt. Foss. 55. Agricola, Cadmia Botrytis, Aldrov. Mus. Metall. 16. Cadmia Capnitis, Kentm. 43. Cadmia Factitia, Schrod. iii. 458. Putty.* Substantia est metallica crustacea, corticis instar, intus lævis ex flavo-cinerea, extus numerosis sub-cœruleis tuberculis asperata; sed quid sit Tutia inter se non consentiunt Autores: *Garzias* enim ex cujusdam arboris cinere exustæ dicit; sed *Bontius* ex terra argillæ instar glutinosæ præparari scribit. Secundum *Douglas.* fit ex terra quadam argillæ instar glutinosa, in India Orientali in fornacibus exsiccata. Alii, quibus & nos consentimus, corpus quoddam ex fuligine æris, dum in fornace conficitur, concretum esse volunt; adhærens ferreis hastis, similis est corticibus arborum, intus lenis, exterius granulosa, instar racemi admodum minutis granulis cinerei coloris aliquantum ad cœruleum vergentis, gravis & sonora. Triplicis id fit generis; Bo-

trytis, Ostracitis, & Placitis, nominibus à re quam repræsentare videtur desumptis. *Vires.* Leniter deficcant, abstergit, ulceribus humidis confert, eademque ad cicatricem ducit, *Schrod.* Venenum habet perniciosissimum, eapropter intra corpus haud fumenda. Mures necat; oculorum medicamentis utilis; additur emplastris & collyriis, *Schw. 3. Pompholyx, Nil album, Offic. Nil album, sive Pompholyx, Woodw. Att. Tom. ii. P. I. p. 50. Pompholyx, Worm. Mus. 135. Kentm. 72. Charlt. Foss. 55. Calc. Mus. 461. Aldrov. Mus. Metall. 16. Matth. Ed. G. 1339.* Pulvis est metallicus, albus, sublimatus ex ære, in fornace coctus, seu favilla est tenuissima & volatilis, quæ, dum Æs in fornacibus perficitur, supernæ earum parti adhærescit. *Vires.* Convenit cum Tutia viribus. Singulare est in oculorum vitiis. 4. Spodium Græcorum, Nihil gryseum, *Offic. Spodium, Matth. Ed. 1339. Aldrov. Mus. Metall. 16. Spodium factitium, quidam Cinerulem vocant, Worm. Mus. 135. Spodos, Kentm. 72. Spodios factitia, quibusdam Cinerula, Charlt. Foss. 55. Putty.* Pulvis, vel favilla est eadem ob gravitatem in pavimentum descendens, colore exalbido. *Vires.* Viribus cum Pompholyge convenit, sed in Officinis rari usus est.

Cupri Mineras, seu Venas diversas (*Copper Dyes*) vide apud *Kentmannum*, à p. 65. ad p. 72. *Wormium* in *Mus.* p. 120, 123. reliquaque *Musea*, &c.

SECTIO SEXTA.

De Lapidibus in genere.

L Apides sunt corpora terrea, dura, indurabilia, vi lapidesca, ex materia fluida lapidescente coagulata.

Lapides